



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 131. Xaverius in Indias reversus, inde Sinas navigaturus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

cris, eorumque Sacrificiis prohiberent. Sæcul. XVI. A. C. 1552.  
 Verum Xaverius elusis eorum infidiis, vanas ejusmodi minas flocci habebat,  
 quin imo Fucarandonus doctrinæ præ-  
 stantia inter suos magis excellens Bon-  
 zius in quadam disputatione, quæ coram  
 Rege habebatur, fidei veritate victus non  
 sine ignominia discedere cogebatur, in-  
 deque Rex magis adhuc firmabatur in  
 pia animi sui propensione, quam jam-  
 jam erga fidem Catholicam ex Xaverii  
 institutione hauserat, magisque indies  
 Christianis favere cæperat, quin ta-  
 men adhuc palam se Christi cultorem  
 profiteretur, forte suorum Bonziorum,  
 qui insanire, ac furere cæperant, timo-  
 re absterritus.

§. CXXXI.

*Xaverius in Indias reversus, inde Si-  
 nas navigaturus.*

Cum ergo Xaverius in irritam spem Turfel. l. 5. c. 2.  
 tempus teri sentiret, Regem vale- Raynald. hoc ann. n. 59.  
 re jussit, qui rursus suam de Xaverio Orland. l. 12. n. 84.  
 existimationem, ac venerationem maxi-  
 me testatus, eundem pluribus suæ ami-  
 citiæ signis cumulabat: cum igitur Fran-  
 ciscus biennium ferme, sexque Menses  
 in Japonia versatus fuisset, Sinas adi-  
 re decernit, cum autem haud ignora-  
 ret, quod antiquissimis hujus regionis

*Hist. Eccles. Tom. XLI.*

H h le-

**Sæcul. XVI**  
**A.C. 1552.**

legibus peregrini omnes, præter Legatos aditu prohiberentur, ac capitis pena, si quis sine Regis jussu accederet, luere deberet, hinc diu de hujus statuti severitate cogitanti Xaverio illud longe consultissimum occurrit, vi cujus in Indiam reversus cum Prorege, & Goarino Episcopo ageret de legatione ad Sinarum Regem destinanda: ipse vero Legati comes patefacto introitu Evangelii lucem Sinensibus populis in sua cæcitate sepultis inferret: Ergo exeunte Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo primo conscensa navi, die vigesima quarta Januarii anno sequenti Coccinum pervenit, ubi juvenem Maldivarum Regem ad ejurandam Mahometis superstitionem inducebat, ac vix Goam attingens apud Proregem & Episcopum summis precibus instabat, ut Sinas Legationem decernerent. Annuere ambo, moxque præ ceteris feligebatur Jacobus Pereira, quem ad hoc opus commendabat non modo rara illius probitas, sed arctior etiam amicitia, qua Xaverio junctus erat: insuper idem tanta liberalitate, ac Religionem amplificandi, salutemque animarum procurandi studio eminebat, ut certe hominum expectationem superaret, minime vero Francisci Xaverii spem de eo conceptam falleret; quippe Sa-

crum hoc negotium tanto ardore urgebat, ut potissimam suorum bonorum partem in necessariis hujus itineris sumptibus, ac donis impenderet, & Xaverio Pro-Regis, ac Episcopi diplomata, nec non conciliandæ fidei literas, ac munera ad Regem Sinarum deferenda mense nondum evoluto procuraret, hujusque Legationis successum Alvaro Thalaidio Malacensium Gubernatori commendaret. Hanc in rem Xaverius quoque datis ad Lusitanum Regem literis (\*) rogabat, quatenus hoc iter gratum, ratumque haberet, ipse vero prius rebus pro domestica Societatis disciplina, ac Indarum Missionum utilitate rite dispositis die decima quinta Aprilis Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo Goa profectus mari se commisit, Sinas navigaturus.

## §. CXXXII.

*Obstacula Sinensi navigationi opposita.*

Primis navigationis suæ diebus foeda Turfelin. 1.  
exoriebatur tempestas, cujus violentia grave naufragii discrimen carinae.  
s. c. 6. & 7.

H h 2

(\*) Hæ literæ exstant apud Odoricum Raynaldum ad hunc annum num. 60.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1552.